

Chaupin, Jean-Pierre-Arnulphe -
candidat / Louis, Antoine - président. -
De partium externarum generationi
inservientium in mulieribus naturali,
vitiosa et morbosa dispositione

1754.

*Paris : Typis Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum. Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae*

Cote : ms 2342, n°44

44

D E
PARTIUM EXTERNARUM
GENERATIONI INSERVIENTIUM
IN MULIERIBUS
NATURALI, VITIOSA ET MORBOSA
DISPOSITIONE,
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ;

Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. ANTONIO
LOUIS, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro,
Scholarum Professore Regio, Academiae Regiæ Chirurg.
Consiliario & Excerptorum Secretario, Regio Librorum
Censore, & à Regiâ Lugdunensi Societate, tueri cona-
bitur JOANNES-PETRUS-ARNULPHUS CHAUPIN, Pari-
siensis, in Almâ Parisiensi Universitate Liberalium Artium
Magister, Consiliarius Regis Chirurgus-trimestris.


P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
*Die Veneris 13^a. Decembris, anno salutis 1754. à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam,*

P R O A C T U P U B L I C O
E T S O L E M N I C O O P T A T I O N E



Typis DELAGUETTE, Collegii & Academiae Regiæ Chirurg.
Typographi, viâ San-Jacobeâ, sub signo Olivæ.





D E

PARTIUM EXTERNARUM
GENERATIONI INSERVIENTIUM
IN MULIERIBUS
NATURALI, VITIOSA ET MORBOSA
DISPOSITIONE,
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



MULIERUM genitalia, miraculum naturæ à Swammerdamio fuisse appellata nemo mirabitur, qui, quanto sint artificio fabricata, mirisque eorum in fœtu concipiendo, gerendo & excludendo functionibus animum intenderit. Omnium partium generationi dicatarum structuram & usus varios, abstrusissimæque phænomena quæ generationis & partûs tempore observantur, hic contemplari præsentis instituti ratio non finit. Externas solum partes, præmissis quibusdam circa pelvis ossa, considera-

A

turi, harum perfectam & integram in statu naturali dispositionem, vitia quibus à pravâ conformatione deformantur, & artis, ad incommoda horum debellanda in subsidium vocatæ, processus & rationes exponemus. Utile quidem argumentum, mundis mundum, causâ cujus, nonnullas quæ in foro possunt moveri lites lucubrationibus Anatomicis componendas, operæ pretium erit expendere.

§. I.

CORPORIS truncum firmant & sustentant ossa pelvis, quæ quamdam intestinorum partem, & in mulieribus uterum continet & obvallat. Lumbis os sacrum substernitur, spinæ veluti fundamentum, quod utrinque ossa innominata excipit. Eorum compagem, ex similitudine formæ, pelvim nuncuparunt Anatomici. Sacrum os est latissimum, triangulare, cavum anteriore parte, ut amplior esset pelvis capacitas, posteriore gibbum. Ex ossibus quinque, aliàs sex coagmentatur, quæ in adultis tam arctè cohærent, ut unicum os efficiant. Hujus extremo adnectitur os coccygis, tribus vel quatuor ossibus conflatum, antrosum inflexis, quæ cartilaginibus flexilibus coadunantur. Ossium innominatorum, in pueris tripartitorum, singula portio propriis nominibus & limitibus discernitur; unicum tandem os utrinque conficiunt, antè inter se, postè ossi sacro commissa, intermediis cartilaginibus. *An partus tempore ossa pelvis diducantur*, quæstio perutilis discutienda; de quâ quidem varii, varia: super hâc distractione rixantur Anatomici & dissentiant, tanquam de eadem materiâ veritas non esset unica & eadem. Ossium pelvis fieri distractionem saltem in primo partu scripsit Hippocrates, libro de naturâ pueri: » ex puerperis autem præcipuè laborant quæ primos partus experiuntur, eò quòd doloribus non assueverint, & totum » quidem corpus dolor occupat, præcipuè verò lumbos & coxendices quæ ipsis diducuntur. Hanc operationem validissimum esse ex naturæ operibus refert Avicennas, perperè à Fernelio* reprehensus. » Avicennas, inquit, in eâ est opinione ut existimet ossa pubis » tum necessariò se jungi, horumque commissuram quasi dissolutam patere: quod tamen nullâ ratione fieri potest, nec est » usu deprehensum. Sed anno 1579, mense Februario, nostris in scholis, Jacobus d'Amboise in Artibus Magister & in Chirurgiâ Baccalaureus, (dein Salub. Facult. Medic. Parisiensis Doctor, & Regis Medicus) pro more Collegii Chirurgicum stadium percurrens, mulieris annos circiter viginti quatuor

* Fernel. *De hominis procreat. physic. lib. 7. de pariendi modo. n. 20.*

natæ, laqueo suspensæ decimo à partu die, propterea quod
foetum statim ab enixu propriis manibus interfecerat, secuit ca-
daver; & oculatissimorum virorum doctrinâ anatomicâ in-
signium cœtui, * ossa pubis ab invicem, & ossa iliûm ab osse
sacro, miro naturæ opificio diduci & distrahi demonstravit. Hæc
separatim mobilia, non modò digitis palpârunt, sed propriis vi-
derunt oculis. Hanc quæstionem tractavit, sententiamque de
diductione, rationibus, auctoritatibus & exemplis confirmatâ,
numeris omnibus absolutissimam reliquit antiqui Collegii Chi-
rurgorum decus & ornamentum, Severinus Pinæus, Anatomix & Bo-
tanices Professor: nonnullos habuit rationum suarum fautores &
assetas; alii verò, quorum semper non minima turba est, cervi-
ces indurârunt, rationesque contrarias in medium adduxere.

In opuscu-
lis Physiol. &
Anatomic.

PRIMUS Pinæo, quem tamen fatetur Anatomem ma-
ximâ cum nominis sui commendatione docere, & rem Anato-
micam scriptis illustrasse, adversatus est Andræas Laurentius,
Archiatræ Regius, & Universitatis Montpellienfis Cancellarius;
hujusque rationes de distractione ossium pelvis ordine dissolutas
à se credidit indiligens rei scrutator. Tempore graviditatis carti-
lagines ossium intermedias, copioso humore subactas emolliri &
dilatari scribit Pinæus noster; copiosiori autem latice irroratas
cartilaginum fibras elongari, & indè pelvim ampliari ratio docet,
eique suffragatur experientia. Si verò Laurentio credatur, » nullo
» humore madefiunt cartilagines, quia uterus, ad os cujus inter-
» num lentus humor obliniens fertur, ossa pubis immediatè non
» tangit, sed inter uterum & ossa adest vesica. Sed impedito sangui-
nis motu libero, ob uteri vasa comprimentis extensionem, om-
nia intumescunt, coxæ dolent, varicosæ fiunt venæ, madefiunt
& relaxantur cartilagines, fluidis versùs illas majori fluxu deter-
minatis: exemplo sint cartilagines intervertebrales quæ decubitûs
tempore minùs compressæ, vi elasticâ, & fluidorum intùs suscep-
tione adauctâ, crassiores ita fiunt, ut homo major videatur, &
reverà eminentioris sit staturæ post decubitum.

Hist. Ana-
tom. Lib. 8.
quæst. 33.

ILLUM & pubis ossa in partu dearticulâri posse non puto, inquit
Laurentius; ita enim uniuntur, ut nullo impetu divelli possint. Quod
si divulsionem simul passâ fuerint, quo medio copulabuntur? quo glutino
uniuntur? nova enim fieri synchondrosis non potest. Talia dicturo,

* Hæc historia apud Severinum
Pinæum lectu digna, ubi adstantes in
Anatomiâ versatissimi nominantur,
inter quos externi notabiles, Lau-
rentius Jobertus, D. M. & in Acad.
Montpellienfi Professor; & Mont-
pellienfis Chirurgus Bartholomæus

Cabrollius, Regius Facultatis Medi-
cinæ Anatomicus, qui tunc Lute-
tiam jussu Regis venerant: itemque
Casparus Bauhinus Basileensis, Pi-
næi nostri discipulus, qui non multò
post apud suos Anatomix Professor,
Medecinæ etiam laude inclaruit.

A ij

fic Pinæus » Ossa ab invicem distrahuntur magis quidem in
 » aliis, in aliis verò minùs, pro magnitudine & crassitie foetuum.
 » & in aliis citiùs, in aliis tardiùs pro humoris copiâ, & corporis
 » totius exercitatione, & præsertim ambulatione breviori aut
 » longiori, & partis siccitate aut humiditate. Undè non fit luxa-
 » tio, quæ solis articulis competit, non verò symphyisibus. Cer-
 » tissimum autem est dolorem sentire mulieres præsertim tempore
 » partûs, ante & post, circa prædictas synchondroses, quæ
 » aliundè accidere nequit quam ob extensionem *synnevroseon*.
 » Quæ extensio fit quando ostreorum more, ossa necessitatis ergo
 » dehiscunt atque distrahuntur, ut illa ad esum aperiuntur, quæ
 » vix aliter, nisi ab experto artifice, ferrum validum & acutum
 » præ manibus habente. Ossium distractio post partum, pereunte
 » causâ, absumpto humore mucoso, in dies reparatur atque
 » restringitur solo naturæ instinctu & beneficio; sed non tam
 » exactè quàm antea, quandoquidem quæ vi dilatata sunt, nun-
 » quam ad pristinam constrictionem redeunt.

LAURENTIO objicienti validam ossium unionem, op-
 poni etiam posset quod *Anthropograph. Lib. 2. capite* de discrimine
 corporis muliebris ac virilis tradidit *Riolanus* hisce verbis » in
 » pariente & puerperâ observabis ossibus pubis interjectam carti-
 » laginem, molliorem, magisque dilatatam, idèdque videbis
 » unum crus elevatum alteri supereminere atque dimoveri. Idem
 » de commissurâ ossis sacri cum ossibus iliûm invenies, & ossa
 » isthæc scalpello tenuissimo separabis in puerperâ recens enixâ,
 » alio tempore inseparabilia in muliere, multò magis in viro,
 » nequidem in infante. * Afferit *Spigelius* pro difficultate in la-
 » borioso partu magis minùs-ve ossa pubis & sacrum dehiscere,
 » cartilagine & ligamento facile ad omnem hiatum, ob maximum
 » humorum ad illas partes affluxum, sequacibus; additque sese
 » illam laxationem aliquando ostendisse in publicis demonstratio-
 » nibus, adducto cadavere fœminæ ex partu difficili mortuæ.

* Ultima hæc Riolani verba ex-
 perientie repugnant: objectionem
 ex ossium validiori constrictione
 naturali deductam infirmat Pinæus
 dicens... tantum abest ut non nisi
 magnâ vi & difficultate separari
 possint, cum potius in quolibet
 fene id facile præstetur, si cultrum
 habeas acutum, qui dorso aciei
 ferè æqualiter tenui præditus sit:
 nunquam enim eorum intermedia
 cartilago siccessit, nisi post morbum
 occallescat, quod tamen rarum est,
 & an aliquis viderit, dubito. Quan-

tum ad me, nunquam istud vidi,
 legi, aut audivi, etiamsi centena
 ossium millia Lutetiæ & alibi vide-
 rim, quæ adhuc exposita sunt cui-
 libet videre cupienti. Semel autem
 vidi utrumque os iliûm cum osse
 sacro, & bis horum alterum tan-
 tum cum prædicto osse, symphyis
 unitum accidentariâ, ob humorum
 pituitosorum ibi congestorum, &
 eorundem concretionem atque in
 osseam substantiam, aut callum si
 velis osseum, conversionem.

5

Harveus parturitionem jam instare dicit cum partes laxantur & distensionem aptæ fiunt. » Quin etiam sacri & pectinis ossium cum » coxendice copula aded emollitur & solvitur, ut dicta ossa » facile exeunti fœtui cedant ; & hiantia regionem totam hypo- » gastricam reddant ampliorem. Mirandæ hujus solutionis exem- pla passim in rerum naturâ obvia sunt ; admirabile sanè est , exi- guum pullulantis nuclei apicem , amigdalæ putà , aut aliorum fructuum , ossa , quæ vix malleo rumpuntur , effringere ; tenellas- que radicis hederæ fibras in tenues saxorum rimulas irrepentes , prægrandes tandem muros discindere. Non est tamen hoc admi- ratione dignius quàm reliqua naturæ opera ; *Jovis* enim plena sunt omnia , & naturæ numen ubique præsens cernitur. *Harv. de partu.* Ossâ pubis in recens denatis puerperis ita diducta reperit Santorini , ut facile fuerit pollicem transversum indere : ex quo id illi consequi videtur , eorum ossium connexionem non per synchondrosin effici ; cum quæ legitimæ cartilagine sunt , flecti quidem ; at distrahi , ut ipsi compertum est , nunquam patiantur. *Santorini Obs. Anat. cap. XI.* Doctissimorum virorum lucubrationes confirmant , non ita pridem observationes in vivis & in mortuis institutæ. Duas à partu difficili superstites vidit clar. Collega M. Verdier , Anatomes Professor emeritus , quæ difficulter admodum incedere potuerant , eò quod ossa illi , ab osse sacro parturientibus violentius fuerint separata. Sed hæc dilatio in omnibus non eadem , ut Pinæus subnotavit : in om- nibus tamen tempore graviditatis , incrementum capiunt plenius enutritæ cartilagine : quod probant experientiæ argumenta ab electissimo Chirurgo *Jacobo Guillemeau* relata ; nec non quæ à viro clarissimo , benè de Anatomia merito D. Bertin , Facult. Med. & Acad. Reg. Scientiarum socio , traduntur. In binis fœminis , quadrimestrem altera , altera septimestrem fœtum gerentibus observavit , in hac præsertim , digitum unum crassam cartilagine scalpello facile se præbuisse separabilem , nec multò difficilius , sine ferro , sed levi manûs auxilio , alterum os illi ab osse sacro planè divulsum. Cartilagine ossium pelvis , cæteris paribus , molliores esse in mulieribus quàm in viris , etiam in iis quæ non utero gestârunt , jam novimus , typisque mandari curavimus. Quin etiam in viris ossi sacri ab innominato diastasis observavit Henric. Bassius , Medic. & Chirurgiæ Doctor & Professor in almâ Fridericanâ ; citatque casum studiosi cujusdam juris 20 annos nati , mollioris ac laxioris corporis habitûs , qui arti digladiandi dans operam in palæstrâ , adversarium graviter aggressus , ven- trem dehinc motibus exercens validè , ossis sacri ab innominato dehisceniam passus est , à nemine , quod sciam , adhuc in viris annotatam. Sapius infantes hoc malo affici ob partium laxitatem , nec satis perfectam ossium reciprocâ conformationem , constat

Vid. Osteol. Auctor.

Liv. 2. de l'heureux ac- couchement. chap. 1.

Vide Aucto- ris Osteol. nu- perrimè editæ Paris. apud Vincent.

In Encyclo- pædiâ seu dicti- onarium & scient. artic. Accouche- ment.

ex aliis historiis ab Auctore citato relatis ; hæcque diastasis non infrequens claudicationis causa. Hæ Bassii laudati observationes, vel similes, si dentur aliæ, desiderantur in orthopediis, & aliis tractatibus, ubi de medicâ, ut aiunt, puerorum educatione agitur.

H I S C E positis quid alias *Laurentii* adversus *Pinæum* objectiones memorem ? Hic faciliores esse adolescentium partus quàm ætate provectorum asserit ; in his enim exsiccata cartilagine cedere nesciunt ; in illis verò succo turgida & molles, obsequen- tiores se præbent : contra *Laurentius*, non quia ficciores cartila- gines, sed quia uterus ficcior, difficiliùs parturire seniores con- tendit. Contract oris sermonis necessitate alteras non majoris mo- menti prætermittimus Archiatri rationes ; quibus tamen assensum quemdam dedit Vir in Anatomia præcellens, eruditissimus *Mor- gagni*, qui adversar. Anat. I I I. animadv. X V. cautissimè me- diâ viâ incedendum existimat, diductionemque ossium aliâs, præsertim in partu difficiliore, contingere ; aliâs verò non idem prorsùs accidere ; in quæstione controversâ Conciliatoris munere potiùs fungi, quàm rem propriâ indagatione perscrutari, maluisse videtur Auctor celeberrimus : per graviditatem enim in omni foeminâ incipit mechanica pelvis dilatatio, ulterius inter pariendum, plus vel minùs, pro re natâ, promovenda. Nec *Palfini* distractio- nem ossium, nullâ ratione allatâ, negantis ; nec *Heisteri*, alie- nam, nempe *Morgagnianam* opinionem tenentis, hic testimo- nia adversum nos adduci queunt. Sed cùm sua sit clarissimo *Ræ- derero*, Professori Göttingensi hæc de controversiâ cogitatio, diductionemque ossium pelvis neget ; quam rationibus à veri specie non abhorrentibus doctrinam, in nuper editis artis obste- tricæ elementis, tueri conatur, hanc periclitari fas sit.

» COMPUTATA diametro superioris aperturæ ellipticæ pel-
» vis, quæ in muliere benè constituta est quasi $5 \frac{1}{4}$ pollicum ab
» uno ossium iliûm ad alterum ; à symphyfi verò ossium pubis ad
» os sacrum $4 \frac{1}{4}$ pollicum ; & cùm foetus caput proportionis
» justæ, & à dolorum vi compressum, dimensionibus suis has
» dimensiones non excedat, foetus utique aperturam hanc liberè
» intrare potest. Hæc ex *Ræderero*. Sed foetus maturi moles cum
pelvis ambitu interiore, non in sceletò comparanda ; multis
enim partibus transitus impeditur & coarctatur ; nempe muscu-
lorum iliacorum & psoas portionibus inferioribus, obturatoribus
internis, vesicâ, recto, portione peritonæi cellulosa, vaginâ
denique ipsâ, & pinguedine spatia inter partes replente : quibus &
addi potest obstetricantis manus nonnunquam in uterum, juxta
foetum ipsum, pro eo excludendo intrusa, quæ maximo conatu
reducitur. Quâ igitur ope tam arctum, totque difficultatibus

circumseptum iter à fœtu exeunte superari posset; nisi ossium innominatorum laxaretur compages. * Solo naturæ instinctu edoctæ hanc dilatationem credunt, in usumque revocant mulieres rusticæ. » Memini enim, hæc sunt Pinæi nostri verba, sæpius » me vocatum fuisse ad mulieres rusticas parturientes liberandas, » quibuscum plures alias vicinas & amicas, ut fieri solet, assistentes mulierculas reperiēbam, quæ obstetricis jussu in difficili parti, ægræ crura ad utrumque latus trahendo deducebant, divaricabantque. Quod ut facilius præstarent, manus valvis, & orificio sinûs utrimque admovebant, synchondrosimque vi relaxabant, ad ossa pubis vehementius constricta, quasi sublato longurio, aut nodo constrictiori soluto, distrahenda. . . . » Aptius id factum fuisset, si doctos Chirurgos non censores, » sed coadjutores aut imperatores habuissent, à quibus methodum dilatandi vias didicissent.

» Ut divellantur ossium innominatorum conglutinationes, » inquit Rædererus, accedat oportet vel violentia externa, vel » majus cartilaginum incrementum. Sed neutrum horum observari post absolutum partum asserit, indè neque ossa pubis, » neque ossa iliûm à sacro, in partu unquam sejungi posse » concludit, nisi in rarissimo casu, scilicet ligamentis quàm » maximè relaxatis, quale quid accidere potest cachecticæ, venereæ, scorbuticæ, &c. in majori gradu tali.

SOLITO plus nutritas cartilagines in gravidis intumescere fat superque probatum; quæ autem vis par sit sejungendis ossibus, patet. Nonne saxei ingentis molis cylindri, inductis ex ligno arido, postea madefacto, cuneis, in tabulas planè divelluntur? Nûm & polypus, molle quidem & ferè pulposum tumoris genus, palati, narium, malæ ossa, quamvis pectinatim, & more dentatæ ferræ commissa, paulatim crescendo, sic à sede suâ dejicit, ut facies horrendo modo deturpetur. Oculum hæc de causâ ex orbitâ ejectum, hujusque cavitatem ferè oblitteratam vidimus. Moles fœtus hujus generis tumoribus longè ponderosior, ossium pelvis ambitui interiori incumbens, hanc ipsorum internam superficiem veluti cuneo comprimit; & cum in dies semper aliquid incrementi cartilaginibus accedat, sanguinis materni ad fœtum perpetuè, copiosiusque quàm par est allabentis, parte superfluâ in laterales arteriarum ramos, hinc atque hinc diversâ, pelvis quotidie ampliatur.

OSsa pelvis non diduci, verbis & scriptis evulgaverat

* Vid. Ambros. Paræi, lib. XXIV. de generat. cap. 13. Sever. Pinæi, Opuscul. Physiol. & Anatom. lib. 2. cap. 5. & clar. Bertin, Thes. in

Schol. Medic. Paris. propugnat. anno 1729.

An ossa innominata in gravidis & parturientibus diducantur?

Ambr. Paræus. Res autem accuratius explorata opinionis commentum delevit. Præstantissimi Auctoris exemplo, non dubitamus quin se laudabilem præstet, qui Paræi palinodiam, naturæ judicia rationibus & exemplis confirmantem, attentâ mente legerit. *

A L I A est ossis coccygis ratio : mobile id esse, breviusque in mulieribus quàm in viris, & minùs antrorsum in illis inflexum, quem fugit ? An verò in omni partu extrorsum cedat, variæ sunt Anatomicorum sententiæ. Coccygis retrocessionem vanam, ejusque utilitatem in partu jejunam admodum esse, & penitus nullam dicit *Severinus Pinæus*. Assertionis autem rationem desumit ab ossis situ inferiori & posteriori : quando enim ad ejus syntaxim pervenit foetus egrediens, jam, inquit, angustias maternas evasit. Præterea talem esse contendit laudatus Auctor, coccygis cum osse sacro unionem, ut frangeretur potius quàm retrò moveri & cedere possit. *Van-slingen* artem obstetricandi professus, affirmat se offendisse os coccygis fractum per vim in partu difficili, ab imperitâ obstetrice parturienti illatam. Violentam hancce coccygis ab obstetricibus retropulsionem graviora subsequi accidentia scripsit *Bourdonius* : & vir in arte obstetricandi versatissimus *Guillelmus de La Motte*, coccygem partui unquam obstitisse non vidit, unde hujus ossis retrocessionem, ab Auctoribus etiam gravissimis decantatam, partui quantumvis laborioso iutilem esse, doctissimorum virorum auctoritatibus & rationibus suffulti, propriâque ne minùs attentâ rei consideratione edocti, contendimus. Quin imò capite infantis versùs posteriora in partu præcipitato vergente, manus admotione, pars inferna vulvæ, perinæum, ipsumque os coccygis sublevanda, ne partes laceratione violentâ rumpantur, quod pluries accidit. Nunquam ergò operâ chirurgicâ retroducere os coccygis necesse est, quod, caput infantis maximo matris damno impetum faciens, satis superque repelleret. In partu verò naturali & facili, nihil moveri docet experientia & ratio confirmat. Major est enim à coccyge ossis pubis distantia quàm ab osse sacro, cum transit foetus sine damno per aperturam pelvis superiorem, qui illum remorari posset coccix ad inferiorem ? & ut clarissimus *Rædererus* annotat, axis pelvis, cui vertex capitis infantilis respondet, medius cadit inter arcum osium pubis & ossis coccygis extremum. Hinc foetus, intacto osse coccygis, per aperturam pelvis inferiorem eliminatur.

* *Paræus, generat. lib. XXIV. cap. XIII.*

§. I I.

GENITALES mulierum partes externæ, sine sectione & diductione solâ in conspectum prodeunt: extrinsecus, etiam citrà diductionem, examinantium oculis sese exhibent mons Veneris, fissura magna & labra duo, quæ omnia pudendi muliebris nomine indigitantur. A pinguedine substratâ tumida sunt, & tempore pubertatis novâ obferuntur lanugine. Rima, seu fissura magna, ab ossium pubis inferiori parte ad anum ferè pertingit; ità ut inter illam & anum, spatium quod perinæum, seu interfœmineum appellatur, vix in puellis grandioribus duorum pollicum transversorum latitudinem excedat. Inferiùs frenulo uniuntur labia, quod in virginibus tensum, crebrâ venere deprimitur, simulque grandescit rima, & magis adhuc frequentiori partu, ob partium extensionem, dilatatur natura enim suâ admodum follicita, difficultati, quæ parturientibus suboriri poterat, prudenter prospiciens tam amplam ordinavit fissuram. Diductis labiis, vulva conspicitur; in cujus superiori parte notanda venit Clitoris, pars virili peni analoga, corporibus cavernosis, glande & præputio instructa, cujus magnitudo ordinaria, instar parvæ uvulæ, extraordinaria subindè ingens, ut mentulam virilem sæpè æquaverit. * Hanc dicunt amoris dulcedinem, & libidinis sedem ac irritamentum; quæ perfricata torpentem excitat venerem: hinc dicitur etiam tentigo, magnæque ipsi delectationis pars in congressibus adscribitur; & si blandè pulposis digitorum apicibus tractetur, in iis quæ pruriunt, non solum voluptas excitari potest, sed etiam affluentibus cum sanguine per arterias, & per

* Vidit *Regnerus de Graaf* infantem cujus clitoris tantam cum membro virili similitudinem referebat, ut cum obstetrice unâ vicinæ mulieres, ac peritiores alii illum masculum judicaverint, & masculino nomine in Baptismo insigniri jusserint. Pro feminâ quoque masculus facilè haberetur, cujus urina per foramen singulare in perinæo circâ penis imperforati & exilioris radicem, fluere; qualem se vidisse refert *Gerard. Blasius*, * talem & mihi alter se exhibuit. Sic constitutâ servat in musæo Dominus *Verdier* viri partes, cujus secuit cadaver; semper se feminam credide-

rat, talisque à quàmplurimis rei anatomice aliundè peritis existimabatur, fato functus ætatis anno circiter 25. Cauti sint ergò Chirurghi in dijudicatione sexus dubii, cum prona sit ad errorem via, ex quo quidem multa in familiis, personarum & societatis civilis incommodo, minùs benè possunt ordinari: exemplo sit filix *Tolosanæ* historia à *Saviardo* relata (*Obs. chir. XV.*) quæ decreto Consulum Capitulinorum (*les Capitouls*) anno 1691, nomen & vestimenta virilia accepit, indicto virgarum supplicio, non immutanda.

* *Obs. Med. rarior.*

nervos spiritibus animalibus, liquor genitalis turgescens erumpere.

D E congressu à prominentiori clitoride impedito, prolixius dicens *Nicolaus Venette* Med. Rupellensis, hanc divortii causam haud dubiè pronunciat: seorsum ab eo sentimus, cum tunc possit clitoris exuperans, encheiresi chirurgicà eximi; & aliundè præpostera veneri indulgere licitum ipsemet alio loco affirmet, innitens Divi Thomæ sententiâ (a), conversumque situm, proli-gignendæ accommodatiorem existimet (b).

CLITORIDIS indecorè prominentis resectio in junioribus salacitati venturæ occurrit, scelestoque mulierum inter se congressui, seu tribadismo, vel aliis Veneris immoderatis illicitisque appetitibus. Notum enim est à clitoride nimia, sæpius ut ferè semper accidit, contrectatâ, lasciviam, Venerisque orgasmum excitari; undè omnibus pudicitia fractis repagulis, turpiter se non modò cuius sollicitanti supponunt mulieres, sed invitis etiam, nunc lascivo gestu ac verbis, nunc aliis illecebris ultro se offerunt. Clitoridis autem exemptionem ligaturâ tentatam, aut frustrato successu ob enata accidentia, adnotavit clar. *Venette*: undè ligaturæ anteponendam, ope scalpelli, clitoridis rescissionem; circularique factâ partium mollium divisione, ferrulâ secandam esse, si sit ossæ, judicamus. Talem quippè vidit Venetiis *Thom. Bartholinus* in scorto, cujus in amplexu impediabantur, lædebanturque amasi, ut sæpius inflammatione obortâ Chirurgorum imploraverint auxilium. Hanc clitoridem fuisse jam abscissam alio loco scribit Auctor perillust. Hæc in operatione hæmorrhagiæ sedulo prospiciendum, astringentium admotione, debitâ deliga-

Hist. Anatom. cent. 3.

Anatom. renov. lib. 1.

(a) Monuerim aliquando conversionem debiti sitûs omninò culpâ vacare, cum non captandæ voluptatis gratiâ, sed aliquâ justâ causâ intercedit, scilicet ob pinguedinem viri, suffocandique sætis metum. *Santus Thom.*

(b) Nam more ferarum Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt
Pectoribus positæ, sublatæ semina lumbis.
De rerum naturâ, lib. 4. ad Calc.

Antiquior quæ sic à *Lucretio* tradebatur, nunc obsoleta est opinio: in quadrupedibus uteri osculum non ad pudendum è regione convertitur, sed parietem vaginæ supernum spectat; quæ res à muliebri dissectione

tam discrepat, quàm quod maximè. Hæc est solertissimi Morgagni animadversio. (Advers. 1. n. 14.) Ex ipsâ Anatome, in procreandis liberis adversam Venerem aversâ præstantiorem, gratiorem, magisque naturalem jam demonstraverat *Pinaus* noster, Opuscul. Physiol. & Anatom. 1. cap. 9. Triplicatâ experientiâ se confirmatum credidit *Paul. Zacchias*, Med. Roman. partus posticâ Venere conceptos, omnes in pedes, aut alio modo præternaturali; non verò naturali modo, in caput nasci. Quod quidem nullâ ratione suffulcitur. Vid. Quæst. Medic. Legal. lib. 3. tit. 1. quæst. VIII.

tionem; & remedium internorum, veneris aestui compeſcendo dicatorum uſu.

CLITORIDIS præputium conſtituit membranofa productio, cujus expansione efformantur alæ ſeu carunculæ cuticulares, nympharum nomine ab Anatomicis donatæ. A clitoridis glande, anguſtiori principio, incipiunt; utrinque ad meatûs urinarîi latera, uſque ad oriſicii vaginæ medium extenduntur; criſtis gallorum ſub gutture pendentibus non abſimiles, cùm in Veneris coſtro percitis, ſimili fere rubello colore gaudeant. Earum ſubſtantia ſpongioſa eſt; papillis nerveis copioſis, undè valdè ſenſiles, & glandulis parvis liquorem ſebaceum ſecernentibus, ſunt inſtructæ. Non extrâ omnis controverſiæ aleam poſitum eſt, quod de nympharum uſu dixerunt præſtantes in Anatomîâ viri. A naturâ ordinatas eſſe ut præſint aquis, & urinæ fluxum dirigant, abſque pudendi labrorum irrigatione, & ne pedes madescant, quis credet? cùm iis dimotis, ulterius urinæ propellantur; quod etiam ſine ullâ partium diductione obſervatur in adoleſcentulis, quarum tenerriimæ ſunt nymphæ. Eas in partu penitûs obliterari ſubnotavit Collega noſter *M. Levret*, artis obſtetriciæ praxi & incremento quàm maximè addiſtus (a); quidnî cum ipſo concluderemus in eum finem conſtructas eſſe, ut ſit undè poſſint in partu muliebria loca dilatari. Huius uſûs animadverſores quoque laudandi *Severinus Pinæus* (b) & Chirurgiæ Magiſt. Lugdun. Acad. Pariſ. ſocius, *D. Flurant* (c). Vaginæ ampliandæ nymphas inſervire confirmatur experienciâ: in virginibus etenim rubræ ſunt, firmæ, tenues, nec multùm latæ; ſed in mulieribus quæ frequenti coitu utuntur, & iis quæ pepererunt, lividæ ſunt & multò laxiores, magiſque pendulæ. In quibuſdam etiam mulieribus, extrâ pudendi labra excrescunt, atque propendent; quale vitium *Ægyptiis* tam familiare eſt, tantamque moleſtiam adfert, ut eas excindere nupturis virginibus cogantur; teſtanti- bus *Galeno*, *Ægineſâ* & aliis. Hâc in re deceptos fuiſſe opinatur *Reg. de Graaf*, judicaturque per nymphotomiam auctores clitoridis & non nympharum amputationem intellexiſſe, quod *Riolanus* pluribus probare nititur. Hanc operationem improbat *M. Levret* ex uſu nympharum animadverſo. Eam celebravit Collegii noſtri decus eximium *Franciſcus Mauriceau*, de hoc à muliere nobili enixè rogatus, tum quia cùm equitare ſapiſſimè cogeretur, intolerando urenti doloris ſenſu afficiebatur, ob attritum nympharum

(a) In libro cui titulus, *l'Art des Accouchemens*, in uſum doctrinæ domæſticæ.

(b) Lib. de graviditate & partu naturali. cap. 5.

(c) *Splanchnologie raisonnée*, Paris, 1752. typis *Delaguette*, Collegii & Academiæ Regiæ Chir. Typograph.

quas longissimas habebat ; tum propterea quod sibi æquè ac marito hæc indecora nympharum exuperantia multum displicebat. In hac operatione ab immodico sanguinis fluxu cavendum ; refissionis locus aquâ aluminosâ abluatur , appositæque linamenta carpta sicca diligenti fasciatione comprimantur : tardè à nympharum abscissione subsequutam hæmorrhagiam , cum vitæ periculo vidit laudatus *Mauricæus*. * Rectâ infrâ clitoridem , parvâ eminentiâ se prodit meatus urinarius , & sub ipso orificium vaginæ , membranâ Hymene in virginibus coarctatum.

§. III.

*A*N dentur certæ virginittis notæ ? non levibus intricatæ difficultatibus quæstio. Virginem dignoscere rem admodum difficilem ac penè impossibilem asserit juris peritiâ vir spectatissimus *Cujacius* ; & certa atque infallibilia esse virginittis signa *Sanchez* negat. Sed Theologorum & Juris-Consultorum allegatis non immoremur , si artis salutaris peritorum testimonio prudenter sic de virginittate assertum fuisse non constaret. Sunt enim , nec horum pauci , qui de virginittate astruendâ ac diffittendâ , ejusque characteribus determinandis coram judice postulati , arduum hoc renuntiandi munus ingenuè detrectant , nullumque signum proprium & univocum virginittis dari affirmant. Multos artis proceres sic sentientes , inter quos *Paræum* , *Guillelmum* , *Mauricæum* , scholæ nostræ clarissima lumina , quibus assentitur , nominat eruditissimus *Bohnius* Tract. de Offic. Med. asserereque haud dubitat , artem Medicam & per hanc factas genitalium muliebrium visitationes atque contrectationes vix forsân adæquatam existere modum virginis à defloratâ discernendæ. Nihilominus , certo certius est in intactis , finis pudoris orificio velum prætensum esse , quod claustrum , seu interseptum virginale , hymenis nomine insigniverunt. De hujus membranæ existentiâ , formâ & substantiâ inter Anatomicos dissidii causas fuisse videntur cadaverum penuria , præjudicata examinantium opinio , & earundem partium discrimen ; non tantum ob diversam ætatem aliasve circumstantias , sed etiam ab ipsâ primâ conformatione admodum frequens.

NEOTERICORUM inventis tandem obsolevit quæstio de hymenis præsentîâ , in virginittis statu integerrimo , semper vaginam coarctantis. Hæc membrana modò circularis , modò semilunaris , non nihil primùm ex vaginæ ipsius substantiâ , mox

* De morbis mulier. tom. 11. Obs. 174.

nihil fermè nisi tenuissima complectens vascula, circum circa insignis annuli specie assurgit, in puellis junioribus parvo foramine, in adultis verò plerumque majore, instructi.

INTERDUM accidit, ut ab annuli summâ parte quæ urinæ meatui statim subest, ex ipsâ prorsus hymenis substantiâ, firma lamina parvæ institiæ aut columnæ modo deorsum rectâ demittatur, cumque annuli inferiori parte commissa, illud in duo spatium dividat, quod medium intrâ annulum relictum est. Hæc accuratissimi *Mergagni* unica observatio est, similes duas *Valsalvæ* confirmans. Parem vidit institam *Palsinus* in virgine 24 annos natâ: rariorem tamen esse hanc hymenis dispositionem indè judicare fas sit, quodd mihi hæc nunquam se exhibuerit, sexcenta puellarum iminaturarum corpora inspicienti.

DE hymenis verâ constitutione dicens *D. Henricus Bassius*, constantem esse ratione ætatis, hujusce membranæ varietatem, columnamque virgineam perpetuò in recens natis annotari contendit; quam stantem injurioso fluxu diruit urina, partem ejus superiorem, angustiore ac debiliorem irrigando; undè hæc emollitur, colliguescit & consumitur. Hinc trianguli figuram assumit hymen, in puellis junioribus sub hac formâ conspicuus. Tandem paulatim diducitur & explanatur, ita ut in juvenculis consistentis ætatis ad semilunarem figuram accedere, vel annularem, si portio superior limbo orificiî vaginæ continua manet, representare cogatur. An hymen vario schemate, ætatum mutationem sic sequatur, judicent æqui rerum æstimatores? Obs. decad. 2.

EX hymenis laceratione in primo ut plurimum congressu, oriuntur carunculæ myrtiformes, & nunc duæ, tres vel quatuor observantur, eo præcisè loco ubi olim hymen aderat: desunt in infantibus, & nunquam istæ carunculæ nisi in mulieribus his compariuntur, quas virum expertas esse constat.

CERTISSIMUM etiam est omnes virgines in statu integerrimo, quamvis viro sint maturæ, primos congressus, etsi eos exoptaverint, habere difficiles, & dolorem pati alias aliis majorem, propter membranæ lacerationem, atque sinûs & ejus orificiî angustorum necessariam dilatationem; undè in primis conflictibus venereis eæ dolorem experiuntur, & viri laborant acrius: claustrum autem virgineum ob exilium vasorum texturam sanguinem fundit, in iis copiosior, quibus vasa penes hanc membranam sunt ampliora & pleniora, paucior in iis quibus exilia & exinanita sunt. Ex hoc etiam patet cur lege *Mosis* indubitarum virginitatis signum habebatur linteorum cruentatio, quæ quidem apud nos virginem semper illibatam non demonstraret, cum amplexus molestus ac cruentus fingi & arte possit effici. Præterea non- Deuteronom. XXII.

nullæ sunt rationes quibus asseveratur, non operosum & incruentum coitum virginittis amissæ indicium non esse, & exinde nullum dari signum distinguens virginem à muliere corruptâ veneroque congressui assuetâ, quo posito infallibile habeatur de virginittate argumentum, quo etiam remoto mulierem esse statui possit.

RUDIORIBUS multa imponunt, quibus non decipiuntur attenti rerum scrutatores. Penis potest equidem esse iusto exilior, & via ob magnam virginis staturam naturaliter lata. A casu rariori generalis regula non infirmatur: posita nihilominus hâc reciproca & minimè consentaneâ dispositione, hymenis circulus flaccescet, nymphæ colore erunt obscuriori, cunctæque reliquæ partes, quæ in virgine integerrimâ colore sunt roseo, eandem coloris mutationem patientur: necesse itemque est id aliquandò accidat quod, testante acutissimo Morgagni, Hyeronimus Mercurialis aiebat, ut paulatim placido diurnoque concubitu, longè latè-que sine ullâ effractione dilatatus annulus oblitteretur; quod & Pinæus affirmat. Posse etiam dicunt naturalis vaginæ orificii coarctatio & membrana virginittis munimentum, ob defluentium humorum copiam ita relaxari, ut in defloratis laxior esse non possit: citat & uteri prolapsum Reg. de Graaf, qui morbus puellis etiam, in humidioribus Bataviæ regionibus nimis est familiaris. Certè quidem præter libidinem, morbi cachectici, puta fluor albus, & uteri hæmorrhagia recidiva, virginittis signa physica immutare possunt, non verò destruere. Alterius sententiæ levitas ed conyincitur, quod menses aut humores expurgati (Pinæi verbis utor) liquidi sunt, qui quidem sinum pudoris itrigare aut humectare, non autem dilatare aut vim aliquam illi inferre possunt. Quod ad uteri puellarum prolapsum, completus, vel vaginæ prolapsus major, hymenem vitiant, genitaliumque habitum mutant; undè etiam si uterus in pristinum locum redocatur, inter virgines quæ tali morbo laboravere, & mulieres à viris corruptas, nullum esse discrimen pronuntiant. Infirmis his opinio stabilitur rationibus adversum virginittis notas. Signis etenim vel diagnosticis vel commemorativis huiusce dilatationis causâ indicatur; sed etiam si causâ morbosâ diligenter inquirentem facillè latere possent, proprio caractere vitiosa partium dispositio innotescit. Hymen qui fit ab exurgente duplicatâ interiori vaginæ membranâ, penitus hoc in casu oblitteratur, ob maximam huiusce partis sensim factam expansionem. Tuncque non apparent carunculæ myrtiformes, quæ aliàs ab hymene lacerato per impetum arietantis viri efformantur. Quæ dispositio, non nisi à crebris partibus contingit, quorum nulla in casu supposito videntur vestigia.

H Y M E N E M in virginibus quandòque desiderari dicunt, quia lascivæ puellæ venereis stimulis agitata, hunc inopinanter effringunt, dùm digito alio-ve immisso instrumento coitum imitantur. Sed iis perraið rumpitur claustrum virginale, si quidẽm dolorem ullum sentire nolunt dùm per se voluptuantur. Si autem effrانا in seipfas crassiori machinamento irrumperent, quo laceraretur virginitatis munimentum; quĩ virgines haberentur, quibus virgineum florem decerpisset malefuada libido? Virginitas materialis in integro partium habitu physico p̄sita est; sicque virgo in passiones ignominia tradita, erroris sui mercedem recipit. Sunt & quibusdam in regionibus obstetrices aliquæ quæ manu hymenem divellunt in recens natis. Et scilicitantibus cur id faciant? respondent, ne adultæ primâ nocte nuptiarum, ex coitu dolores percipiant, cùm matrimonium debeat esse initium gaudii, non doloris. Deleto igitur, ut videre est ex prædictis, intersepto virginali, semper amissa non debet dici virginitas, quod ex circumstantiis dijudicandum. Sed alter obex non levioris momenti in præsentii quæstione amolendus: integritatem non certò probari ab hymenis præsentia statuitur. Binas hæc de re historias verè comicas refert *Severinus Pinæus*. Et quidem alteram de quodam Nobili juris peritissimo, qui sexdecim annos natam virginem castissimam in uxorem duxerat, quæ nuptiarum die menses patiebatur, passaque fuerat tribus antè, ut postea duobus adhuc diebus continuis ei fluxerint. Hanc primo insultu, & vix salutato hymene compressit, subiitque facile: hinc maritus suspectam uxoris alioquin pudicæ habuit castitatem. De lite movendâ pro dissolutione matrimonii, facilius suâ opinione, & iudicio consummati, cogitabat. Interea elapsis statis diebus uxoris menstrua cessant, jacuerunt unâ, sed perperam primâ ac alterâ nocte rem habere conati sunt; tertio solùm die voti compotes lætati sunt. Altera historia est de mercatore qui cum virgine duos & viginti annos natâ matrimonium contraxerat. Cubuerunt simul floentibus menstruis, rem semel habuerunt, sed ita facile, liberaliter & opportunè, ut ex virgine facta sit mulier, quæ eodem temporis momento concepit gravidaque ipsa fuit. Postridiẽ nuptiarum, maritus rura satis longa petiit, in memoriam sæpius revocans facilem quem habuerat cum uxore congressum. Reversus verò post vigesimum diem, ipse & uxor dormierunt simul, sed rem habere tentarunt frustra istâ primâ vice, propter angustius multò redditum quàm antea sinûs pudoris orificium, post fluxum menstruorum & partium pudendarum exticcationem. Quare virgo corruptam & corrupta virginem retulerat. Ex hisce patet quomodo placandi sint mariti qui ob facilem ad sponsas introitum suspectam habent illarum castitatem. Nimiùm huic prolesioni ne

quæst. 2. v. 13
hancq. 1. 1. 1. 1.

S. Paul.
Epist. ad Rom.
cap. 1.
Fort. Plem-
pius. Fun-
dam. Medic.
lib. 1.

quæst. 2. v. 13
hancq. 1. 1. 1. 1.
7. 1. 1.

De Oculis

Elyf. camp.
quest. jucund.
41.

credant puellæ. Nunc quæritur an virgines, quæ menstruationis tempore absque dolore & conceptione coitum illicitum admittunt, postmodumque cessante humorum affluxu, iterum ita angustantur, ut nullum læsionis signum in earum partibus observetur, pro virginibus adhuc habendæ sint? Virgines minimè dici posse contendit *Caspar à Rejes*, licet virginalem adstrictionem iterum acquirant. Si de virginitate morali, vel formali ad mentem *Zacchiæ & Verrheyen* agatur, quæ, tempore fluxus mensium viros omninò admiserunt, sicut & quæ ob membranæ fortioris resistentiam absque immisione penis virilis, graviditatis tamen periculo sese commiserunt, pudoris naufragium nihilò secius passæ sunt. Sed cum partes pudendæ in statu integerrimo cernuntur, materialis, à quâ potissimum sumitur physica virginis denominatio, amissa nequit dici virginitas. Ex dictis sequitur à cujusvis renuntiatione in re ancipiti & lubricâ non standum; sed cautè ac circumspèctè pensitatis pensitandis, non esse temerarii nec imprudentis asserere; ergò certa dantur virginitatis notæ.

§. I V.

Vid. *Sant-
ekey de ma-
rimon. lib.
lib. 7.*

IN partibus genitalibus earum quæ virum passæ sunt, aut peperère, non leve discrimen ab intactis observatur: in illis injucundè nonnunquam relaxatus ultra modum conspicitur pudoris sinus, cujus orificio coarctando nonnulla sunt usu recepta, quæ partes adeò reddunt angustas, ut non modò naturalem cohærentiam antè corruptam virginitatem adæquent, sed etiam longè exuperent. Hæc sophisticatio (sic appellant arte factam orificii vaginæ constrictionem) remediis astringentibus, stypticis & conglutinantibus, quorum non parva supellex, comparatur. Quæ in se mundiori cultu incumbunt mulieres, huic curæ sedulò vacant; quod quidem non improbandum in nuptis, si id bonâ mente fiat, scilicèt ut mariti non eas fastidiant: quâ de causâ jocofum quid legere est in *Dictionario Trevoltienfi* (a). Locorum etiam muliebrium laxitatem conceptioni non favere quidam autumant: & *Hippocrates* (b) partibus observandis, post purgationes ope subditiorum medicamentorum, collutiones & suffitus ex aromatis conducere scribit. Sed quibus non abutuntur; per quod nefas non ruunt scelestæ! quid non cogit auri fames! cum maribus frequentioris congressûs sibi conscia mulieres,

(a) *Dictionnaire de Trevoux, vocabulo rétrécisseuse. vid. ultim. edit. vel tom. 7. prioris edit. supple-*

ment.

(b) *De morbis mulier. lib. 1. pag. 597. edit. Fœssli.*

sponsum

sponsum vel amafios perfidè decipiunt composita virginitate, ut se illibatas glorientur. Quædam hæc utuntur arte, ut repetito mercatu porcum suum vendant. Quin etiam, Medicinæ Scriptores modos docent virginitatis reparandæ, vel potiùs simulandæ; nam ut amissos colores medicata fucò lana non refert, nec virginitas, cum semel excidit, ullâ reparabilis arte. Possunt tamen medicaminibus contrîngi genitalia, dolorque in congressu simulari, & ut refert *Arnoldus de Villâ-novâ*, indicâ vesicâ piscis sanguine plenâ in locos mulieris, eruptio sanguinis quæ fit in primo coitu effingi. Versutarum ætas parentum, avis non vitiosior, nec tulit nostri temporis fœminas hæc in re nequiores. Acriora quandòque adhibent medicamina meretrices, ex quibus multa ipsæque lethalia suboriri queunt accidentia: quod quidem observare mihi contigit in adolescentulâ decimum-quartum ætatis annum agente, decreto judicis, in carcerem Nosocomii generalis, dùm ibi Chirurgiæ præcipuas partes tenerem, demissâ. Facies ejus rubore saturato ac livori propiore suffundebatur; feбри comatosæ accedebant bilis sinceræ vomitio, & infausi ominis symptoma, frigus extremorum. Inquirenti mihi in causas principiaque affectuum præter naturam quibus miserè afflicta erat, retulit lena, quam habuerat dissolutioris vitæ fautricem ægra, hujus vulvam in ostentationem virginitatis, & paulò largioris lucri ratione, medicamentis fuisse illitam, nullamque à quatuor diebus urinæ excretionem fuisse. Tanta partium externarum erat corrugatio, quam & adauxerat subsecuta inflammatio, ut vix meatum urinarium distinguere potuissem, nisi aquæ tepidæ fotu partis paululum imminuta fuisset distentio. Immisâ in vesicam fistulâ, putridæ & graveolentis urinæ libras circiter quinque educebam. Sed gangrænâ jam internè correpta, mortem libidinis stipendium, eodem die accepit formæ non illepidæ juvencula.

SIMULATÆ autem & ementitæ virginitatis à genuinâ seu illibatâ dijudicatio postulatur, si nempè vitiosa castitatem integram jactet, ut infamiam vitet; vel quandò lucri causâ, restitutionem in integrum ex matrimonio quædam anhelat; qualia exempla passim obvia sunt, testante *Bohni*; aut si juvencula divortium requirat, idèò quòd à marito cognosci haud potuerit. Penes imperitos vel minùs attentos error erit si simulata non dignoscatur virginitas: intemerata muliebria, contracta quidem sunt & coangustata, sed naturali quâdam humiditate & florido nitore dotantur: at ubi medicamentis usâ est mulier, ea loca exsucta & indurata contractione aridâ adnotantur, earumque rubicundior immutatur color, nisi tinctilibus imbuta sint medicamina; quod facilè visu, & partes linteolis extergendo dignosceretur. Demùm ut rosa sub imminentem noctem foliis

De Officio
Medic.

C

contractioribus se prodit, talis cernitur illibata virginitas. Compositam autem turpantibus rugis exarat sophisticatio, suffumigis aquosis, vel focibus emollientibus brevi cessura.

§. V.

PRÆTER naturam, à malâ conformatione nonnunquam occluduntur genitalia mulierum, undè symptomata moventur, pro clausuræ & partium obturatorum diversitate, varia. Antè pubertatis annos, ut plurimum, ab hac causâ nulla exordiantur incommoda, nisi vulvæ labrorum coadunatio vitium pariat: tunc enim ab ipso ortu, guttatim per exiguum foramen in quâdam pudendi parte, stillat urina, quæ foràs ex urethrâ directò nequit extrudi. Facilis hujusce prævæ dispositionis in naturalem restauratio: scalpello separatis labiis vulvæ glutinatis, urinæ viâ expeditur; interpositisque linteolis oleo rosaceo imbutis, ne vulva denuò coeat, intrâ paucissimos dies utriusque labii vulnusculum consolidabitur. Si vaginæ orificium, membranâ nullo foramine instructâ & menstruis imperviâ, claudatur, varia exorientur accidentia, varios affectus morbosos mentientia. De vaginæ imperforatione in puellâ septemdecim annos natâ commemorat *Franciscus Mauriceau*, quæ uteri prolapsu laborare credebatur: tumor pugni mole major inter femina pendebat, menstruorum sanguine à duobus annis congesto repletus. Historiam refert *Fabric. ab Aquapendente Medico-Chirurgus illustris*, » de virgine nobili quæ ætatis anno » decimo-tertio, ob menstruarum purgationum retentionem, » patiebatur dolores insignes circâ lumbos, & in imâ abdominis » parte, qui etiam coxis & articulo coxendicis communica- » bantur; undè Medici curabant affectionem, perindè ac si esset » morbus articularis, dolorque coxendicus; sensim cœpit corpus » emaciari, ac tabefieri, continuâque ferè febriculâ detineri; » vigiliis insuper, inappetentiâ, tandemque delirio. Tumor » quoque renitens ac dolens in imo abdomine, è regione uteri » abortus est; quæ omnia magis invalescebant quo tempore » menstruæ purgationes magis instarent urgerentque. Tandem » cum morti jam esset propinqua, accersitus *Fabricius*, præ- » priis oculis affectione perspectâ, incidit simplici incisione » membranâ, & statim maximâ sanguinis crassissimi, viscosi, » æruginosi, ac fœtidi copiam effusâ, ab omnibus affectionibus, » quasi miraculo quodam, extemplò fuit liberata. In puellâ Colonienâ quæ singulis mensibus ventris torminibus maximis,

hypothimiâ, vertigine, & nonnunquam paroxysmîs epilepticis per dies aliquot mirum in modum divexabatur, deprehendit *Fabricius Hildanus* orificium vaginæ membranâ densissimâ clausum. *Obs. 60. cent. 3.*

ATRETIS seu imperforatis etiam venter sic à menstruorum retentione intumescit, ut illibatæ virgines graviditatis insimulari possint. Ex *Joannis Wieri*, Medici, libro de præstigiis dæmonum sequentem narrat casum *Marcus-Aurelius Severinus*. A suppressâ menstruâli materiâ ob validam orificio vaginæ prætensam membranam, virginis venter ingentem in tumorem prodibat, cum dolorum cruciatu, quasi ipsa parturiret. Vocatæ obstetrices, his quæ fiebant & apparebant animadversis, ipsam partûs dolores pati affirmabant, etsi constanter assereret, nunquam sibi rem cum viro fuisse. Extrema patienti ab urinæ retentione, jugibus vigiliis, doloribus, succurrit Chirurgus sectione membranæ exitum sanguini denegantis: eâque apertâ sanguinis concreti, nigri, jamque putrescentis libræ circiter octo dimanarunt; tri-duoque post, omnis morbi omnisque doloris expers virgo evasit.

Medicinæ
efficacis, lib.
1. part. 2.
cap. 46.

IMPERFORATARUM historiis turgent Observatorum scripta; tales autem solum dicantur quibus hymen omnino impervius: si enim membrana etsi crassior, foramine exiguo donetur, licet ex hac dispositione veneris usus impediatur, nulla possunt esse atresiae seu imperforationis perfectæ incommoda. Vidit pedissequam *Fabr. ab Aquapend.* quam multi scholares frustra deflorare tentaverant, quod hymenis foramen altius vaginæ vacuo non responderet, &, opposito corpore solido, penis ingressus prohiberetur. Refert *Joan.-Bened. Sinibaldus*, *Geneanthrop. lib. 4.* Romæ, dum studiis operam navaret, in quodam nequitiae hospitio tres prostitutas fuisse sorores, quarum pulcherrima natu minor, clausurâ laborabat, adeo ut cum pellex callida rem nemini amasiorum detegeret, ignari agonistæ qui ad eam ut formâ præstantiorem inclinabant magis, in venerâ luctâ insudarent, anhelarent, ac tandem defatigati abirent, libidine aut non expletâ, aut malè & cum verecundiâ. Ab impedito veneris usu non sequitur, nullo foramine fuisse his in casibus hymenem pervium, quod non satis perspectum crediderim ab Auctoribus, in suis de atretarum imprægnatarum relationibus. Testante *Riolano*, Parisiis anno 1609. mulier imperforata coram

Anthrop.
lib. 2.

Judice maritum accusabat, quod nondum ab eo quidquam passa fuisset; cum utriusque partes diligenter inspicerentur, mulier inventa fuit gravida. Et *Clementinâ 2. quasi. 15. de consang.* refertur in Franciâ olim imprægnatam fuisse quamdam cujus virginitatis claustra omnia firma atque illæsa manserant, adeoque

impregnata esse virginem non desisse. De juvene femina gravidâ loquitur *Mauriceus*, *Obs.* 583. cujus claustrum virginalè, nonnisi parvo foramine ad magnitudinem caulis pennæ apertum erat; per quod foramen dicta femina, sine membri virilis introductione, conceperat.

De Operat.
Chirurg.

Ad conceptionis possibilitatem, absque penis in vaginam immissione, ulteriùs probandam, argumento sit faceta quæstionis, à Sacerdote quodam, *Fabricio ab Aquapendente* factæ, historia. Acceperat ille ab adolescentibus, feminâ & mare, quodd cum ob amorem mutuum simul in locum solitarium convenissent, dum se osculis & illecebris, ac blanditiis ita stantes se amplexarentur, femina permisit colem maris ad vulvæ orificium vix pertingere; hic verò tentigine flagrans, semen ad vulvæ orificium invitus ejecit, & grvida facta virgo est sine concubitu; quem poterat uterque fateri, si securus esset; cum gravidam eam esse constaret: sed ambo asseverârunt penem in vulvam nequaquam penetrasse.

Joh. Helwig. *Obs.*
139.

Gynæcolog. p. 163

EXEMPLA atretarum, & casus conjugum in Prætorii Ecclesiasticis & Civilibus, ob hoc cohabitationis impedimentum, matrimonii dissolutionem sive divortia petentium, non rarò contingunt. In solvendo matrimonii vinculo ob atresiam Chirurgorum renuntiationibus fidem habent Judices; ad eos igitur de rerum statu circumspicere feramus. Membranam sinum pudoris occludentem, operatione Chirurgicâ, eademque simplici fuisse resectam, auspiciatissimo successu, innumeris apud Auctores probatur observationibus: unam aut alteram hic obiter enarrare fas sit. Par conjugum ex plebe rusticana se invicem coram Consistorio Episcopali Ratisbonæ, de impotentia maritali coarguentes, divortium petebant. Præses Consistorialis mulierem imperforatam cognovit, factâ utriusque conjugis, quam decreverat, inspectione corporali: dein per Chirurgum ex artis lege incisione celebratâ, concordēs in conjugio vixerunt, & liberos progenerârunt. Alterum casum, non indicto Auctore, commemorat *Schurigius*. Cum aurifaber quidam Parisiis honestam puellam duxisset, sibi in congressu liber aditus ad illam non daretur, de divortio cogitavit. Cum autem idem Collegium Medicorum & Chirurgorum convocaretur, inspectis muliebribus, collum matricis, mediante membranâ durâ atque callosâ, exiguis tamen foraminulis ad menses expurgandos perforatâ, clausum repperunt. Hanc membranâ Chirurgi sic inciderunt, ut de divortio non amplius locutus fuerit maritus.

Quæst.
med. legal.
lib. 3. tit. 1.
quæst. 7. n°.
29.

A timiditatis reprehensione non abest *Zacchias*, qui in incisione membranæ crassæ & validæ, spasmi, convulsionis, inflammationis & sphaceli periculum recenset. Si tamen callus altior citrà mortis discrimen incidi non posse existimaretur, ab hujus

sektionem abstinendum. Talem partium pudendarum clausuram vidit *Benivenius* in muliere, cui lues venerea totam vulvam eroderat, & incuriam Medici, quidquid erosum erat oris invicem junctis obcalluerat; indeque sola urina, & ea ex parvo quidem foramine reddebatur. Huic *Benivenius* consuluit, ut incurata potius viveret, quam operationi periculofiori sese exponeret. A tali consilio stare vetat *Gerardi Blasii Amstelodamensis* observatio septima. Mulier ante annum infantem primum pepererat; ab eo tempore latera vaginæ coalita sunt; quæ coalitio tanta erat, ut sectione primâ factâ etiam ad digitorum aliquot latitudinem, omnia conjuncta observarentur: & intestino recto hac in operatione læso, nonnisi post aliquot dies, quibus vulnus hoc intestini consolidabatur, secundam apertionem instituere licuit, quâ ad orificium internum introitus concedebatur, & ope eburnei instrumenti apertus reservabatur, adhibitis medicamentis idoneis. Antequam dissectio prima institueretur, latere dextro sub foramine urinario exiguum se exhibebat orificium, per quod menstrualis liquor nigricans exstillabat. Operis consiliique socios meritis nominat Auctor clarissimus, inter alios, *Henricum Roonhuysen* & *Rogerium, Henrici filium*, Chirurgos insignes. Timiditatis vitium in operationibus Chirurgiæ suscipiendis vitantes, audacioris non fiant animi. Omnis medicina prudentia sit.

Lib. de ab-
dit. rerum
causis.

ALIA imperforationis apparentis species hîc manet recensenda, de quâ non ita pridem Parisiis vidimus exemplum notatum dignum, vernaculè in Academiarum commentariis non tradendum, ob verecundiam de re pudendâ servandam. Adolescentula in quâ nullum vulvæ & vaginæ vestigium, per anum purgationes menstruas patiebatur. Eam vir quidam adamavit; & huic, quâ datâ viâ, se commisit, non tangenda transiliens vada. Quod alibi nefanda fuisset sceditas, in hoc casu fuit secundum naturæ intentum. Gravida enim facta, fœtum tempore opportuno enixa est, lacerato ani sphinctere. An uxore sic dispositâ uti fas sit, vel non, judicent Theologi morales.

... de partium externarum generationi inservientium in mulieribus naturali, vitiosa ...